



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

II. De eo qui alium oppugnarit in aedesacra, aut oppido regio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

II.

Si quis ad templum opidumve regium confugerit, eumque alius oppugnarit, damnove affecerit, is, prout antea effati sumus, tenetor.

III.

Nulla pugnae aut homicidii nomine irrogata remittitor multa.

IV.

Clare autem significo, non fore ei qui sanguinem humanum effuderit suffugio domum meam, ni prius Deo ac cæsi cognatis cumulate satisfecerit, & præterea impleuerit quodcumque ei fuerit ab episcopo, in cuius id diocæsi acciderit, imperatum.

V.

Maximas autem Deo & vobis omnibus ago gratias, qui me auxilio vestro in hac pacis, quam nunc ad profligandos fures sanciuimus, lege adiuuistis, ac vehementer confido, eo vos propensius nobis in posterum opitulaturos, quo huius decreti obseruatio magis videbitur necessaria.

Hæc addita
sunt ex alio
manuscri-
pto.

*Quomodo desponsanda virgo, & quibus ritibus
procedendum sit.*

I.

Si quis virginem ducere aut feminam voluerit, ipsa & amicis suis consentientibus, debitum est, cum ex iure diuino, tum ex humana institutione, vt sponsus primo non solum fidem præbeat de prælocutis perimplendis, sed vna etiam cautionem se eam ita cupere, vt secundum legem Dei eam habeat vxorem, & hoc etiam vadient amici eius.

II.

Tum habenda victus ratio, & sciendum est quis eos sustinuerit. Stipuletur hoc sponsus ipse, idemque pariter amici eius.

III.

Edicat iam tum sponsus, qua bonorum parte vxorem donat, præter hanc quam ex eius beneplacito ipsa prius cooptauerit.

IV.

Sin & ipsa eum superuixerit (quod siquidem eueniat)
tunc

Prisca do-
tationis
formula.